

imbecillitas: quod autem porro memorat, oratores ty-
rannorum instar interficere, bonis exuere, in exsilio
eicere, quoscunque lubuerit, refellitur eodem fere mo-
do; faciunt quidem quod lubet, non autem, quod vo-
lunt, volumus enim id modo, quod optimum est nobis,
et facere, quae lubet, adeo non est potentiae, ut sum-
mae sit haud raro insaniae. Nihil hoc modo sese profi-
cere, insuper a Socrate etiam, quod perperam interro-
garet, reprehendi Polus cernens, explicare, quae modo
dixerat, et demonstrare Socrati permittit; isque argu-
mentationem ingreditur talem; quae facimus, non vo-
lumus propter seipsa, sed propter eum, quem nobis pro-
posuimus, finem: medicinam sumere non sui, sed vale-
tudinis causa volumus; adeoque, quae nec bona sunt,
nec mala, non sui, sed bonorum causa volumus et faci-
mus. Sunt autem haec, ire, sedere, currere, multa
alia, interque ea interficere etiam, bona alii auferre,
in exsilio aliquem eicere: si quis igitur orator aut ty-
rannus interficiat, aut exuat aliquem bonis, facit qui-
dem, quod lubet, non autem, quod vult, praesertim
cum id ipsum sit malum; si autem non facit, quod
vult, et potentiam habenti oportet esse utilem,
non sunt haec potentiae, sed imbecillitatis potius, argu-
menta. His Polus, cum nihil aliud haberet, argumen-
to ad hominem occurrit. Ipsene, inquit, posse, quae
lubet, in ciuitate optares? iuste fiat, an iniuste, parum
curans. Nolle, respondet Socrates, maxime si iniu-
riam haberet adiunctam; siquidem afficere iniuria, quam
affici, magis est malum; nec tyrannidem adeo delatam
acciperem. Posse, quae lubet, non est res magni aesti-
menda, siquidem, quicunque arrepto pugione metuque
aliis incusso, circumambulat, vestes aliorum scindere,

vitam